

- 5 a. Artus per vos perforati
Praestent velle, posse pati
Nos hic quaeque tristia.
- 5 b. Sic martellum clavos urgens
Sanat omne vulnus turgens
Perfida flagitia.
- 6 a. Tolle verbi pravi letum,
Os, cui fel praebet acetum
Arundo in spongia,
- 6 b. O perfossum Christi latus,
Amor cujus nobis datus
Dura reddit suavia.
- 7 a. Cuncta Christi armatura,
Nos exsolvas, ut futura
Perfruamur gloria.
- 7 b. Eja decus beatorum,
Jesu, salus peccatorum,
Aufer nostra crimina
8. Per amaram passionem
Sanguinisque effusionem,
Per sacrata vulnera.

Miss. sec. notulam Dominorum Theutonicorum imp. Nurembergae s. a. —
Vgl. Kehrein No. 46, das nach Ausweis seiner Quellen gar keine Sequenz
ist, sondern ein Horarium, aus dem die obige Sequenz durch Auswahl gebildet.

14. De facie Salvatoris.

- 1 a. Magnifica tua festa,
Jesu Christe, nobis praesta,
Colamus quotidie;
- 1 b. Hymnis, psalmis et cantibus,
Magis sinceris mentibus
Veneremur hodie.
- 2 a. Vultus tuus fulgidus,
Honore dignissimus,
Proponitur omnibus;
- 2 b. Quem turbae fidelium,
Conventus humilium
Dignis colunt moribus.
- 3 a. Laudantes non fastidiunt,
Sed laudare plus sitiunt
Tuam, Christe, faciem,
- 3 b. Cives sectantes coelibes,
Cuncti et Dei supplices
Laudem ferunt stabilem.
- 4 a. Praeclara formula,
Vitae praeambula,
Monstratur singulis,
- 4 b. Amat salubria,
Confert utilia,
Solvit a vinculis.
- 5 a. Effigies spectabilis,
Jucunda et mirabilis,
Benigna ineffabilis,
Omnibus exorabilis.
- 5 b. Ad te cuncti passibiles
Confugientes homines
Tuum poscunt subsidium.
Et salutis remedium.
- 6 a. Quo adjuti levius
Mundi mala perferunt,
Ob hoc tibi saepius
Suas preces offerunt.
- 6 b. Hinc plura pericula
Dante te effugiunt,
Quos nec ulla jacula
Te tuente offerunt.
- 7 a. Relictis sordibus
Disponunt pectora,
Votis et vocibus
Jungentes opera
Salutem adeunt.
- 7 b. Per exercitia
Ornantes animas,
Per beneficia
Reddentes gratias
Gaudia subeunt.

- | | |
|--|---|
| <p>8a. Quae olim multis est visa
Moesta et probris elisa,
Ecce apparet amoena,
Gratia et laude plena
Figura egregia.</p> | <p>8b. Haec mortis ignominiam
Reduxit ad memoriam,
Ascensionis gloriam
Spondit post miseriam
Facies eximia.</p> |
| <p>9a. O felix Veronica,
Mundi salus unica,
Peccatorum gaudium;</p> | <p>9b. Ad te clamant singuli
Hujus vitae populi,
Ut dones solatium.</p> |
| <p>10a. Da famulari jugiter
Tibi et laudabiliter
Concordi jubilamine,
Devoto mentis carmine;</p> | <p>10b. Ut te videntes oculi
Nostri in fine saeculi
Luce fruantur sedula
In saeculorum saecula.</p> |

Miss. Misnense imp. s. l. et a. — 6b, 4 offendunt?

15. In Susceptione s. Coronae.

- | | |
|--|---|
| <p>1a. Si vis vere gloriari
Et a Deo coronari
Honore et gloria,</p> | <p>1b. Hanc coronam venerari
Studeas atque sectari
Portantis vestigia.</p> |
| <p>2a. Hanc coelorum rex portavit,
Honoravit et sacravit
Sacro suo capite,</p> | <p>2b. In hac galea pugnavit,
Cum antiquum hostem stravit,
Triumphans in stipite.</p> |
| <p>3a. Haec pugnantis galea,
Triumphantis laurea,
Tiara pontificis;</p> | <p>3b. Primum fuit spinea,
Postmodum fit aurea
Tactu sancti verticis.</p> |
| <p>4a. Spinarum aculeos,
Virtus fecit aureos
Christi passicnis,</p> | <p>4b. Quae peccati spineos
Mortis aeternae reos
Adimplevit bonis.</p> |
| <p>5a. De malis colligitur
Et de spinis plectitur
Spinea perversis,</p> | <p>5b. Sed in aurum vertitur,
Quando culpa tollitur
Eisdem conversis.</p> |
| <p>6a. Jucunda mysteria
Sunt haec sed materia
Praesentis laetitiae</p> | <p>6b. Nobis est historia,
Qua potenter Francia
Coronatur hodie.</p> |
| <p>7a. Hujus coronatio
Coronae susceptio,
Cujus festum agimus,</p> | <p>7b. Debito cum gaudio
Et anniversario
Honore recolimus.</p> |
| <p>8a. Thesauro jam nobili
Tam desiderabili
Dives es effecta,</p> | <p>8b. Terra carens simili,
Carens comparabili,
Deo praedilecta.</p> |
| <p>9a. Tria privilegia
Regna tibi alia
Subdunt in honore,</p> | <p>9b. Fides et militia
Unctioque regia,
Quarum flores flore.</p> |